

Statuta^{a)} synodalia diocesis Hildensemensis.

N. dei et apostolice sedis gracia episcopus ecclesie Hildensemensis. Universis et singulis dominis prelatiis, capitulis et clericis quibuscumque per ecclesiam, civitatem et diocesim nostras Hildensemenses constitutis salutem in domino et plenam observanciam cum obediencia subscriptorum. Mandamus in virtute sancte obediencie, quod nullus iudex delegatus aut ordinarius in nostra diocesi Hildensemensi ferat sentenciam interdicti in causa pecuniaria et quod illa constitucio¹⁾ domini Bonifacii pape octavi que incipit: ‚Provide attendentes‘ in suo vigore districtius observetur.

§ [1]. Item^{b)} mandamus omnibus et singulis personis in ecclesiis collegiatis, quod in ecclesiis suis cantent et tempore interdicti legant horas canonicas submissa voce et pausas competentes in medio singulorum versuum psalmorum faciant et ordinarios ecclesiarum cum debita diligentia observent, quivis secundum sue ecclesie ordinacionem et consuetudinem antiquam et honestam, et si qui negligentes, tardi aut remissi in huiusmodi horis cantandis aut legendis reperti fuerint, volumus et precipimus, ut per suos superiores taliter delinquentes corrigantur secundum consuetudinem debitam et consuetam, alioquin tam superiores quam subditos reservamus nobis pro modo culpe puniendos.

§ [2]. Item mandamus, quod nullus clericus barbam vel comam nutriat, sed quivis tonsuram et habitum deferat clericales, ne penis super hoc editis a jure per nos contra rebelles promulgandis se senciatur aggravari.

§ [3]. Item^{c)} omnibus clericis in sacris existentibus et precipue presbiteris nostrarum civitatis et diocesis in virtute sancte obediencie injungimus, ne ad publica spectacula vadant aut tabernis se immisceant quoquo

^{a)} pag. 97. ^{b)} Vor den einzelnen Absätzen Paragraphenzeichen in rother Dinte. ^{c)} pag. 98.

¹⁾ Constitution Papsst Bonifaz VIII. von 1302 Mai 31 bei Sudendorf, Urkb. VII S. 61.